









1727.

1. Baenius, Jo. Gottsp.: *De peccato in iussero que satis*.  
2. Baenius, Jo. Gottsp.: *De pabulo ad liberos qui  
bona habent aletos obligato.* 2 Exempl.
3. Conradij, Baenius Cornelius: *De iure personarum  
ex discrimine hominum naturae variis*.
4. Cretius, Henr. Christ.: *De Tribus et Tago  
Gracchis fratibus*.
5. Daegenerus, Cornelius Matthias: *De convivis non  
invitatis*.
6. Daegenerus, Cornelius Matthias: *De onere legitimae*
7. Siegius, David Gottlob: *De rescriptis principum  
autonatam rei indicatrix habentibus simulque  
lectio[n]es auctio[n]es indicat.*
8. Siegius, David Gottlob: *De probatio[n]e doce-  
ti cuius metallifodinares . . . simulque lectio-  
nes suas hybernes indicat.*

1727.

9. Dincklerus, Gottlieb Wilhelm: De cursu actatio  
nephis feminae minorennis extincto.
10. Dincklerus, Gottlieb Wilhelm: De appellatione in et  
minibit.
11. Dincklerus, Gottlieb Wilhelm: De eo, quod justus  
est circa subtractionem quartae Falsidical.
12. Dincklerus, Gottlieb Wilhelm: De legato ad heredes  
non transiente.
14. Von Dörff, Christph. praucancellarius fuc. iuri. Reac:  
Programma, quo ad promulgationem Doctoralem systema  
iuri abiusque licentianorum (Georgii Carolo-  
phori Playpii seq.) instat.
18. Von Dörff, Christph. praucancellarius fuc. iuri. Reac:  
Programma, quo actione solamne presentationis  
septem licentianorum iuri inest (Georgii Playpii  
seq.)

1729.

157. Dreverus, Christianus: *De jure locorum  
subordinati*

16. Dreverus, Christianus: *De aequitate legum Romana-  
rum circa periculum rei venitiae*

17. Falter, Iohannes Balthasar: *De eo, quod justum est  
circa fabros impensis ferrarios*

18. Frankenstein, Jacobus Augustus: *De eo, quod justum est  
circa Thesauros*

19. Frankensteinius, Jacobus Augustus: *De praerogatibus  
et praeminentiis Augustinianae domus theatrae*

20. Gaertner, Carolus Gottlieb: *Programma, : de praevarico  
ac Lukamine juri Saxonico praestito similiue ad  
orationem auspicalium institut.*

21. Gaertnerus, Carolus Gottlieb: *De advocacyis publicis  
Imperioris Lusatiae*

22. Gebauerus, Georgius Christianus: *Programma, quo et  
orationem auspicalium institut.*

1729.

23. Gebauerus, Georgius Christianus: Oratio, cum ad feudorum  
jura publica interpretanda accesseret.

24. Grobner, Michael. Novus: lectori benevolo s. p. 1.  
(ad precipua capita iuri gentium interpretanda  
invitata)

25. Grobnerus, Michael. Novus: De iure territorii subor-  
dinati.

17.2.16.  
22

AEQVITATEM  
LEGVM ROMANARVM  
CIRCA  
**PERICVLVM REI  
VENDITAE**  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
CONSENSV  
XXIX. NOVEMBR. cI<sup>o</sup> I<sup>o</sup>cc XXVII.  
H. L. Q. C.  
PVBLINE TVEBVNTVR  
**M. CHRISTIAN. HENR. DREWERVS**  
DRESDENSIS  
ET  
**IOANNES HENR. MYLIVS**  
LIPSIENSIS.

---

LIPSIAE  
LITERIS IMMANVELIS TITII.

ABGELAUFEN  
PFEEF VON RÖMERN

PERICULUM RHIN

UHGIGT AUF

ALTESSERSONSCHEN CO. DING

MONTAGUE'S CHAMBERS

MONUMENTALISCHES

JOHANNES HESSE

WILHELM

FRANZ

CHRISTIAN

JOHANNES

CHRISTIAN

JOHANNES

CHRISTIAN

JOHANNES

CHRISTIAN

JOHANNES

CHRISTIAN

JOHANNES

CHRISTIAN

V I R O  
*PRAENOBILISSIMO, AMPLISSIMO*  
*PRUDENTISSIMO*  
**JOHANNI PHILIPPO**  
**KVESTNERO**  
SENATVS LIPSIENSIS ASSESSORI  
AC  
AEDILI IAM REGENTI  
GRAVISSIMO  
AVO  
SINCERA, DEVOTA, SVMMO  
PIETATE, RELIGIONE, OBSEQVIO  
ET  
QVI PARENTIBVS DEBETVR  
FILIALI CVLTV  
PROSEQVENDO  
SVSPICIENDO

NEC NON  
VIRO  
EXCELENTISSIMO  
**GODOFREDO GVILIELMO**  
**KVESTNERO**  
JCTO CELEBRATISSIMO  
POTENTISSIMO POLONIARVM REGI  
A CONSILIIS IN SENATV PROVOCATIONVM,  
CVRIAEC PROVINCIALIS SVPREMAE ET SCA-  
BINATVS ELECTORALIS ASSESSORI, NEC  
NON SENATORI CIVITATIS  
PATRIAE  
**AVVNCVLO ET PATRONO**  
AD CINERES  
DEVENERANDO.

# VIRI PRAENO BILISSIMI EXCELLENTISSIME

**B**liberalitatem non in dando solum, verum et in accipiendo consistere bene censuerunt sapientissimi quique viri. Illa quidem in vulgus nota. Haec non nisi magnis ingenii familiaris. Illius, quo est, qui accipit, infelicior, quod datur, praestantius, eo etiam ipsius magis augetur splendor. Haec vero ipsa offerentis tenuitate, reique oblatae vili pretio extollitur, eoque splendet magis, quo est eius, qui munuscum liberali vultu suscipit, maior autoritas. Quum VOS igitur, VIRI PRAENO BILISSIMI, illa iam satis, quae in conferendo posita est, liberalitatis specie sitis celebrati, in praesentiarum eo sereniori fronte pagellas basce acceptu-

pturos esse confido, quo illae sunt viliores, quo  
qui offert, tenuior. Primitiae sunt studio-  
rum, quas fero; quae non video cui meliori  
iure debeantur, quam *VOBIS*, quorum pa-  
ternam in me voluntatem satis compertam ba-  
beo, *VIRI, FILIALI OBSEQUIO*  
et *CVLTV PROSEQVENDI*. Nec  
tam ipsas has paginas offero, quam animum,  
qui, vti hactenus fuit vere pius, ita et impo-  
sterum, ubi benebole haec acceperitis, se re-  
vera potius exhibebit gratum, quam se fu-  
turm esse multis spondeat; animum, qui inco-  
lumes in senectute et vegetas vires, vigorem  
perpetuum, seros annos precatur; animum,  
qui *VOBIS* obsequium et pietatem saepius  
declarabit, quibus nullo non tempore *VOS*

**VIRI PRAENOBILISSIMI,  
EXCELLENTISSIME**

prosequatur

**IOHANNES HENRICVS MYLIUS.**



N reliquis disciplinis, a quibus juris ciuilis studium adiuuari, atque augeri potest, nullam, vel auctoritatis pondere, vel utilitatis vbertate, naturalem iurisprudentiam superare, existimo. Hac enim non tantum quid inter gentes, quae, propter aequalitatem ipsorum, naturalem videntur statum seruare, iustum sit, docemur, verum etiam, quae imperantium, quae parentium sint officia, quibus legibus illi rempublicam tueri queant, hac nobilissima philosophiae parte continentur. Quae cum nequaquam humanis

*Iurispruden-  
tia naturalis  
in iure pri-  
vato insigne  
praefat-  
vium.*

A 2

manis

manis inuentis atque auctoritate nitatur, (a) sed a summo rerum omnium Conditore rationi humanae ita insita sit, ut neminem, de ea solicite cogitantem fugere queat, consequitur inde, eam et reliquis, ordine naturae, priorem, et fontem esse, ex quo omnia humana iura deducuntur.

## §. II.

*Eumque in-*  
*primis in ex-*  
*pendenda le-*  
*gum aequita-*  
*te,*

Cum igitur naturalis iurisprudentiae utilitas per omnem priuati juris ambitum latissime patet, tum ea in primis in expenden da legum aequitate versatur. Huius enim ope, in rationes legum inquirimus, et diuersarum gentium instituta vel inter se comparamus, vel cum praeceptis fanae rationis conferimus, ut inde, quae lex aequior altera sit, intelligamus. Quanquam enim, in libus priuatorum componendis, cuiusque ciuitatis leges obseruari debent, neque, secundum naturalem aequitatem statuere, iudicis potestate facile continetur: vnum tamen

alte-

I. (a) Praeclare CICERO de Inuent. Rhet. I. II, *Natura ius est, quod non opinio genuit, sed quaedam innata vis inferuit.*

alterius ope indiget, vt, vel lege ciuili omnino deficiente, vel pluribus circa vnum idemque factum collidentibus, ex communibus principiis res aestimanda, et naturalis jurisprudentia in subsidium vocanda sit. Sed et in legum interpretatione aequitatis ratio quam maxime habenda est, vt, quae ad illam proxime accedunt leges, eas ad causas similes accommodemus, quae autem ab illa remotiores sunt, pressius accipiamus. (a)

### §. III.

Praeclare ICTORUM veterum facile prin-  
ceps, PAVLVS, in omnibus quidem, maxime  
tamen in iure aequitatem spectandam esse,  
pronuntiat. (a) Cum autem aqua lex, pres-

A 3 sius

II. (a) Comp. hoc illuſtr. GRIBNERVS in Princip. Iurisprud. Nat. l. IV, c. 1, §. 2. n. 3; illamque interpre-  
tandi rationem ipse MODESTINVS suadet in  
l. 27. ff. de Legibus.

III. (a) in l. 90, ff. de Reg. Iur. unde ius ars aequi et bo-  
ni CELSO dicitur in l. 1, pr. ff. de Iust. et Iure, et  
CICERO in Topic. ad G. TREBAT. p. m. 184, ius  
ciuile definit quod sit AEQUITAS, constituta  
iis, qui eiusdem ciuitatis sunt, ad res suas obti-  
nendas.

sius dicta, eam denotat, quae naturales rationes habet, vt idem omnibus seruandum sit, si nunquam eiusmodi lex condita esset; tum, hac notione, opponitur iis, quae vel omnino a principis voluntate originem ducunt, quas mere ciuiles leges appellare solent, vel iis, quae in naturali iure fundatae quidem, aliam tamen, ex imperantibus placito, faciem induunt, quas *praeter naturales* dicere, consue-  
runt. Quae omnes, licet non iniustae sint pro-  
pterea, quod vel naturali iuri ignotae, vel,  
praeter simplicem aequitatis rationem, fe-  
runtur, diligenter tamen distinguendae sunt  
ab his, quas naturalis ratio suadet.

## §. IV.

*Transgressio  
ad institu-  
tum.*

Obseruauit hanc, de legibus iudicandi  
rationem, praeter caeteros, naturalis iuris-  
prudentiae restaurator, HGGO GROTIUS.  
Nam in eius libro II, integra deprehendi-  
mus capita, in quibus Romanorum placita,  
tum cum aliarum gentium institutis, tum  
etiam cum naturali iure componit, et, quae  
aliis praeferenda sint, quae ad naturalem ae-  
quitatem proprius accedant, ostendit. Ne-  
que tamen aequum satis legum nostrarum  
censo-

censorem vbique se praestitisse GROTIUM, rigidiorem potius earum censuram aliquando suscepisse, haud pauci queruntur. Sed hie etiam nimio legum Romanarum studio non-nunquam ducuntur, et, quod illae praeter naturalem aequitatem constituerunt, infelici successu ad eam reuocare, conantur. Exemplo esse possunt, quae de periculo rei venditae iure Romano constituta sunt, quae ad commenta iuris civilis pertinere, tradit GROTIUS, (a) quem multi eo nomine reprehendunt. Quare operae pretium me facturum esse, credidi, si in hoc argumento curatius versarer, et, quo usque leges Romanæ in hoc capite, aut naturalem aequitatem secutae sint, aut ab ea paulisper recesserint, ediscererem.

### §. V.

Si inter quosdam id agitur, vt alter rem suam alteri, interueniente pretio, alienet, eandem ipsi statim tradere, necesse non habet vendor, sed, tum alias ob caussas, tum, vt pretii ratione securus sit, illam rem ali-

*Dispositio le-  
gum Rom. cir-  
ca periculum  
rei venditae.*

---

IV. (a) Vid. infra §. 6.

aliquandiu retinere potest. Cum autem contingat facile, ut *fatale damnum*, absque venditoris culpa, quam, ex natura huius contraetus praestare, tenetur, illi rei interea inferatur, quaestio inde oritur, emtorne, an venditor eiusmodi casum, quem periculi nomine in legibus Romanis venire, (a) tralatitium est, ferre, teneatur? Dignum hoc iuris Romani conditoris visum esse, in qua cura atque cogitatione diligenter verfarentur, bini, in *Pandectis*, et *Codice* ea de re inscripti, tituli testantur. Quos prolixius explicare, cum instituti mei ratio haud patiatur, in pauca illam legum Romanarum sanctionem contraho, quae eo tendit, ut, nisi venditionem conditio suspendat, (b) aut iusta conuentio interueniat, (c) aut mora

ven-

V. (a) *Periculum* hic idem denotat, quod *casus fortuitus*, vid. §. 3. l. de *emt.* et *Vend.* l. 23, ff., de *Reg. Iur.* licet alibi eidem opponatur, l. 37, §. 1, ff., de *Neg. Gest.* Aliquando et *culpam* et *casum* complectitur, comp. l. 5, §. 3, ff., *Commodati*, SCHILTERVS *Exercit.* XXX, §. 103.

(b) l. 5. C. de *Peric.* et *Comm. Rei Vend.*

(c) l. 5, §. 2, ff. de *Rescindenda Vend.*

*venditoris in traditione intercedat, (d) perfecta emtione, periculum ad emtorem pertineat. In hanc sententiam IUSTINIANVS, (e) cum autem, inquit, emtio et venditio contracta sit, (quod effici, diximus, simul atque de pretio conuenerit, cum sine scriptura res agitur) periculum rei venditae statim ad emtorem pertinet, tametsi adbuc ea res emtori tradita non sit.*

### §. VI.

Haec legum Romanarum de periculo rei venditae summa est. Iam, quid GROTIUS de hac re sentiat, videamus. Ita autem ille: (a) *De venditione et emtione notwithstanding, etiam sine traditione, ipso contratus momento, transferri dominium posse, atque id esse simplicissimum: ita Seneca venditio alienatio est, et reisuae, iurisque sui in alium translatio: nam et ita fit in permutatione. Quod si actum sit, ne statim dominium transcat, obligabitur venditor ad dandum do-*

Eam non con-  
uenire natu-  
rali aequita-  
ti, afferit  
GROTIUS.

B

mini-

(d) *I. 4, C. de P. R. V.*

(e) in §. 3, *I. de Emt. et Vend.*

VI. (a) *de I. B. et P. I. II, c. 12, §. 15, p. m. 379.*

minium, atque interim res erit commodo et periculo venditoris: quare, quod venditio, et emtio constat praestando, ut habere liceat, et euictionem, item, quod res periculo est emtoris, et, ut fructus ad eum pertineant, antequam dominium transeat, commenta sunt iuris ciuilis. Itaque non illud tantum, quod non, nisi accidente traditione, rei venditae dominium in emtorem transferatur, praeter naturalem rationem, a Romanis constitutum esse, GROTIUS existimat, verum etiam, quod periculum eius rei interea ad emtorem pertineat, *commentum (b) iuris ciuilis appellat.*

### §. VII.

- (b) Sinistre hoc interpretantur multi, neque reuerentia legum Romanarum dignum censem. Ipse SCHILTERVS, c. I. §. 105, hoc dictum reprehendit, licet de re cum GROTIO consentiat. Sed, si recte illud accipias, nihil malo continet, sed idem est, quod in I. II, c. 6, §. 1, n. 2, et passim, *ex lege ciuili esse*, dicit. Comp. VLR. HVBERVS, P. I, Digress. I. IV, c. 7, p. m. 253, ubi contra WISSENBACHIVM GROTIUM defendit.

## §. VII.

In alia omnia abit KVLPISIVS, qui legum Romanarum aequitatem, aduersus GRO<sup>TIVM, aequi-</sup><sub>tatem tuerit</sub> TIVM, ita tuetur. (a) *Quae super KVLPISIVS.* emtione et venditione tradidit GRO<sup>TIVS</sup>, vix locum suum tuebuntur. Cum enim illa contractus sit, cuius effectus formalis non nisi obligatio est ad rem habendam, ante traditionem, ne naturali quidem iure, emtor dominus fieri potest. Sed nec obligatur venditor ad dandum dominium, verum satis est, praestitisse, ut emtori, quandocunque velit, rem habere liceat, quod translatione possessionis, et facultatis usucapiendi absoluitur. Caeterum, quod res vendita, ante traditionem, periculo et commodo sit emtoris, est quidem iure civili constitutum, fundamentum tamen habet naturale, quatenus in voluntate emtoris est, possessionem, ac cum ea usum et commoda rei a venditore accipere. Vbi illustris vir de eo in primis a GRO<sup>TIO</sup> dissentit, quod, ne naturali quidem iure, dominium rei, citra

B 2 tra-

VII.(a) Exercit. VI, §. 4, p. m. 68, ad Grot. l. II, c. 12.

traditionem, transferri putat. Attamen,  
vt auctoritati legum Romanarum consulat,  
et, non obstante venditoris dominio, peri-  
culum rei venditae ad emtorem recte perti-  
nere, ostendat, aliam rationem affert, quam,  
si accuratius examines, aut mere ciuilem ef-  
fe, aut ad eum casum, si venditor rem tradere,  
paratus, sed emtor in mora accipiendo est, (b)  
pertinere, facile patet.

### §. VIII.

*Duo hic in  
controversiam  
veniant v-  
num, an ven-  
ditor rei ven-  
ditae, et non ven-  
ditae, dominus sit,  
alterum, an  
emtor eius  
rei pericu-  
lum ferre,  
debeat?*

Si rem ex naturalis iuris principis, se-  
positis iam Romanorum, aliarumque gentium  
institutis, aestimamus, nemo certe damnum,  
rei alienae casu illatum, nisi pacto id in se re-  
cepit, pati, tenetur. Rem enim perire  
domino, aequissima iuris regula est, quae,  
cum in omnibus, tum etiam in re vendita,  
necessario valebit, vt dominus eius rei peri-  
culum a se non alienum existimet. Ex quo  
facile intelligitur, cum, inter GROTIUM, et  
leges

(b) Plures quidem, emtorem in mora esse, suppo-  
nunt, comp. SCHILTER. c.l. §. 106, sed  
hoc non ad regulam spectat, sed ad exceptionem,  
vid. sup. §. V.

leges Romanas, de hac re diffensio est, duo in disceptationem venire, vnum, an venditor rei venditae, sed nondum traditae, dominus sit, alterum, an emtor eius rei periculum ferre, debeat? Ait IVSTINIANVS, (a) negat GROTIUS. (b) Nos vtriusque controversiae momenta praecipua paucis expenderimus.

### §. IX.

Quoad prius, GROTIUS (a) facile assentimur, *ad dominii translationem naturaliter traditionem non requiri*, neque aliud in re vendita obtinere, persuasi sumus. Si enim huius contractus vim naturamque consideramus, constat, eodem hoc agi, ut alter iure, quod in re sua habet, abdicet se, idque in

B 3 alium

Primum regre  
negat GRO-  
TIUS.

VIII. (a) In laudato §. 3, I. de Emt. et Vend.

(b) vid. §. sequ.

XI. (a) l.II, c.8, §. 25, et c.12, §. 15, ibique HENNIGES, p. 593, GVIL. van der MVELEN, T. II, p. 426, BARBEYRACIVS, in not. Gall. p. 428, add. GROTIUS, c. 6, §. 1, n. 2, ibique BOECLERVUS, p. 537, sequ. ZIEGLERVS, p. 293, HEDINGERVS in *Siciliment.* et in *disp. ad Inst. l. III*, tit. 14, p. 106, sequ.

alium transferat. (b) Ad dominii translationem autem, ut rei traditio accedat, minime opus est, sed voluntatem, a rei domino declaratam, eidem sufficere, ex ipsa dominii natura satis intelligitur. (c) Neque etiam

- (b) Quamobrem mirari subit, unde sit, quod *Illusfr. THOMASIUS*, tametsi in *Iurispr. Diu. l. II, c. 10, §. 161, not. u.* ad translationem dominii traditionem praecise non requiri, confirmet, in notis tamen ad *HVB. de Iur. Ciuit. l. II, scđ. 6, c. 4, §. 10, p. 523*, venditionem, licet consensu perfectam ex naturali ratione dominium non transferre, sed ut id exprimatur pacto adiecio, opus esse, putet. Ipse consensus enim translationem iuris continet, sine qua nec venditio perfecta dici, posset. Neque ratio ibidem adducta, quod ex natura venditionis venditor non sit obligatus ad dominium transferendum, nisi pretium sit traditum, aut fides de pretio habita, rem conficit, sed illam ad possessionem rei venditae consequendam magis, quam ad dominium pertinere, recte existimat *BARBEYRAC.* in not. *Gall. ad Grot. l. II, c. 12, §. 15, not. (c) p. 428.*
- (c) Comp. in hanc sententiam *PVFENDORF. l. IV, c. 9, §. 4, HVB. de I. Ciuit. l. II, scđ. 4, c. 5, §. 30, SCHILT. Exerc. XXX, §. 105, THOMAS. Iurispr. Diu. c. l. GRIEBNERVS, Princip. Iurispr. Nat. l. IV.*

etiam IVSTINIANVM hoc fugere, potuit,  
qui, (d) nihil, inquit, tam conueniens est na-  
turali aequitati, quam, voluntatem domini,  
volentis rem suam in aliud transferre, ra-  
tam haberri. Tametsi quidem eo loco, quo  
de traditione potissimum agit, Imperator  
haec pronuntiat, magis tamen ad declaratio-  
nem voluntatis de dominio rerum, in alios  
transferendo, quam ad traditionem, ab ea  
distinctam, illa pertinent, ut hinc, parum ab-  
esse, quin G ROTII sententia hoc loco confir-  
metur, VLR. HVBERO, haud ab re videa-  
tur.

### §. X.

Ex his igitur planum esse, existimo, de-  
claratione voluntatis ab alio in aliud transi-  
re rerum dominia, ideoque eum, qui rem

*Different  
KVLPISIVS,  
cui responde-  
tur.*

suam

- IV, c.5, §.3. WERNHERVS Element. I. N. et G.  
c. 14, §.50. et Disp. de Aut. Iur. Ciu. c. Obl. Nat.  
§.14, BEYERVS ad ff. de P. R. V. pos. i. not. (a)  
SCHVLTING, in Jurispr. Ante-lustin. p. 473. n. II.  
GVNDLING. I. N. c. 19, §.32. WOLF. P. II. S. I, c.8,  
§.17. FLEISCHER. Inst. I. N. et G. I. II, c. 10, §.37.  
(d) §.40. I. de Rer. Diniſ.  
(e) Digress. I. IV, c. 8. §. 2.

suam vendidit, amplius eius dominum esse,  
GROTI<sup>V</sup>M non temere negasse. Nihilo  
tamen minus affirmativa sententia verior  
videtur KVLPI<sup>S</sup>O, (a), qui, non solum ad  
possessionem, verum ipsum quoque dominium,  
et quidem, quoad actum primum etiam con-  
sideratum, vere consequendum, traditionem  
aliquam, vel actum aequipollentem, perti-  
nere, censet, ita, ut si non semper realis ac  
praesens, saltim symbolica, aut praeterita  
requiratur. Quo loco *illustris vir*, quod  
in hac controversia plerique confundunt,  
dominium a possessione recte quidem di-  
stinguit, adeo tamen a GROTI sententia  
discedit, ut, ne actu primo quidem, quod  
FELDENVS, (b) aliique dissentientium GRO-  
TIO largiuntur, dominium, ante traditio-  
nem, in alterum conferri, opinetur. Sed  
ratio, quam, ad confirmandam opinionem  
suam, ibidem subiungit, quod *non alio modo*  
*per naturam discriminari possit obligatio ad*  
*alienandum, ob alienatione ipsa, ea non ad*  
perfe-

X. (a) *Exercit. V, §. 1, ad GROTI. L. II, c. 6, p. m. 49.*

(b) *ad GROTI. c. l. p. 193, seq.*

perfectam venditionem, quam GROTIUS supponit, (c) sed ad promissionem alienationis, vel pactum, futuri contractus praeparatoriorum, spectat. Qui enim rem suam alteri vendidit, eidem, perfecto contractu, non ad alienandum obligatur, sed ad possessionem rei alienatae concedendam.

### §. XI.

Evidem non ignoro, praeter KVLPI-  
SIVM, plures (a) a GROTO de hac re dissenti-  
re, neque dominium, ante traditionem rei,  
naturali iure, transferri, persuasos esse. Sed

C his

*Dissentient,  
praeter KVL-  
PISIVM,  
plures.*

(c) Evidem *sibi ipsi*, hac in re *non constare* GRO-  
TIVM, sed alibi, in primis, l. 11, c. 12, §. 15. n. 2, aliena-  
tionem *ipsam a promissione alienationis ita se-*  
*cernere, ut illa facultatem moralem in rem tri-*  
*buat, haec non, KVLPISIVS hoc loco, not.* (d)  
*p. 50, HERTIVS ad PVFEND. l. IV, c. 9, §. 5, not.*  
(b) *p. 570, alii, eidem exprobrant, sed satis ab hac*  
*obiectione GROTIUM defendit BARBEYRACI-*  
*VS in not. Gall. c. l. p. 429.*

XI. (a) In quibus praecipui sunt COCCEIVS, disp. an  
traditio necessaria sit ad transferendum dominium?  
Vol. I, p. 213, sequ. TEXTOR Synops. I.G. c. 8, §.  
48, KESTNER. I.N. disp. III, c. 5, §. 22. VITRIAR.  
l. II, c. 12, qu. 26, p. 258.

his refellendis diutius vacare, iam non licet, neque etiam argumenta illorum aliud quid probant, quam traditione rei possessionem conferri, quam a dominio separari posse, satis iam demonstratum esse, existimo. Recte igitur VLRICVS HVBERVS, (b) rationem mere ciuilem et arbitrariam Romanorum esse, censet, quod, sola conuentione, neque dominium, neque aliud ius, quod rem ipsam afficiat, acquiratur. Neque etiam SCHILTERO (c) litem mouemus, quod illud institutum moniti civilis prudentiae rationem habere, putat, cauendum tamen esse, existimamus, ne, quod idonea satis ratione, leges Romanae hac de re constituunt, illud etiam naturali iure stabilitum esse, credamus. Ignorat haec naturalis ratio, sed eadem non improbat. Cum enim naturali etiam iure, venditor, vel, ad traditionem rei venditae, vel ad pretii solutionem, pactione interposita, dominium sibi seruare possit, iis multo ma-

---

(b) *Digress. I. IV, c. 8, §. 1.*

(c) *Exercit. XXX, §. 105, comp. BOECLER. ad Grot. I. II, c. 6, p. 539.*

magis, (d) qui rerum potiuntur, permisum censeri debet, de rerum, ad subiectos spectantium dominio, in rei publicae utilitatem statuere.

### §. XII.

Hactenus de eo dictum est, quis naturali ratione rei venditae, et nondum traditae dominus sit, sequitur iam, vt, ad quem eius periculum pertineat, ostendamus. Rem autem domino perire, ipsa dominii natura satis, ni fallor, comprobatur, eamque regulam naturali iure tum demum exceptionem pati, si alius, pactione interposita, periculum in se receperit, superiorus (a) iam explanatum est. Quamobrem, si venditorem, donec emtori res tradita sit, dominum manere, supponas, periculum etiam ad eum spectare, debet. In alia omnia abit Romana iurisprudentia, ac,

*Posto venditoris dominio,  
idem quoque periculum  
ferre, debet.*

C 2

pra-

(d) Vid. omnino *Illust. GRIBNERVS*, l. IV, c. 2, §. 5,  
add. *SCHILTER*. c. l. §. 103, *sequ.*

(a) §. VIII.

praefuncto etiam venditoris dominio, emtori rem venditam perire, statuit, quam ideo iniquitatis insimulare, nonnulli, ac magni nominis JCTi non dubitarunt. Ita enim CVIACIVS, (b) cum in L. 33. ff. Locati, fundi, periculum, qui prius, quam vacuus emtori traderetur, publicatus fuerat, venditori nocere, videret, atque hoc IVSTINIANI doctrinae, supra (c) laudatae refragari, existimaret, diserte pronuntiat, in Institutionibus iuris regulas, quae omnes ex summo iure, et rudimenta sint, proponi, in Digestis incrementa iuris, et res ad aequitatem diligentius exactas esse. Ac parum abest, quin in eandem sententiam HOTOMANNVS (d) eat, licet alibi (e) ab ea alienus videri, voluerit.

### §. XIII.

(b) ad African. tract. VIII, Opp. T. I, p. 1524.

(c) §. V, p. 9.

(d) in Comment. ad ff. t. pe Peric. et Comm. R. V.

(e) in Comment. ad §. 3, I. de Emt. et Vend. Op. T. II. p. 651.

### §. XIII.

*Vera iuris  
Rom. ratio e  
naturale do  
minium em  
toris.*

Si rem accuratius consideramus, nihil causae est, cur leges Romanas vel sibi ipsis non constare, (a) vel, contra aquitatem, rei venditae periculum ad emtorem deuoluere, arbitremur. Cum enim naturali ratione emtor simul, ac venditio consensu perfecta est, dominium rei venditae acquirat, fieri haud aliter potuit, quam, ut periculum etiam ad eum respiceret. Neque etiam dubitamus, quin naturale dominium emtoris Ictos Romanos commouerit,

C 3 vt

- (a) Notae sunt controvrsiae , quae inter IVL. PACIVM , et ANT. MATTHAEVM , praecoptorem , et discipulum , de hac re quondam agitatae sunt , vid. WISSENBACH. ad *Inst. disp. 35* *ib. 53.* Multi quidem CVIACIVM refellere , conati sunt , sed non aequali omnes successu , comp. in primis FRANZK. ad *ff. b. t. et Resol. l. 1, 5, n. 29, sequ. BACHOVIVS ad TREVTL. Vol. 1, disp. 28, ib. 8, lit. C, et D. HAHN. ad WESENB. b. t. n. 1, HVB. Praelect. ad *ff. b. t. n. 4*, et ad *I. de Emr. et Vend. n. 10.**

vt eidem periculum rei venditae subeundum censerent. Eo certe respexisse videtur PAVLVS, (b) qui *necessario*, inquit, *sciendum est*, quando *perfecta sit emtio*, *tunc enim sciemus*, cuius periculum sit. Recte hic ICtus non rei traditionem, sed consensum contrahentium, ex quo venditionem perfectam aestimandam esse, ibidem (c) tradit, respicere iubet, non obscurò indicio, cum, emtorem naturaliter iam rei venditae dominum esse, credidisse. Quanquam igitur ius Romanum rei venditae dominium penes emtorem remanere fingit, commoda tamen, et periculum statim ad emtorem transire, voluit, atque hac ratione rem ad naturalem aequitatem iterum reduxit. (d) Itaque non cohæ-

(b) l. 8, pr. ff. b. r. add. l. 3, ff. eod. ibi, quam in suis rebus adhiberet.

(c) Verbis, si id, quod venierit, appareat, quid, quale, quantum sit, si et pretium, et pure venit, perfecta est emtio.

(d) Vid. omnino HVB. de I. Ciuit. I, II, sect. 6. c. 4. §. 10.

cohaeret quidem iuris Romani philosophia, sed, quod periculum emtoris sit, naturale est, quod venditori dominium tribuatur, id, licet non iniustum, praeter naturalem tamen aequitatem constitutum est.

T A N T V M .



8. 1607

Dieß ist ein Buch, das auf  
der Erde ist und nicht auf dem Himmel.  
Es ist ein Buch der Freiheit, das die Menschen  
aus der Sklaverei führt.

VITIA





Leipzig, Diss., 1727 A-G

X 237 1923

ULB Halle  
005 826 152

3



WNB





1727, 16  
22

AEQVITATEM  
LEGVM ROMANARVM  
CIRCA  
**PERICVLVM REI  
VENDITAE**  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
CONSENSV  
XXIX. NOVEMBR. cI<sup>o</sup> I<sup>o</sup>cc XXVII.  
H. L. Q. C.  
PVBICE TVEBVNTVR  
**M. CHRISTIAN. HENR. DREWERVS**  
DRESDENSIS  
**ET**  
**IOANNES HENR. MYLIUS**  
LIPSIENSIS.

27

LIPSIAE  
LITERIS IMMANVELIS TITII.